



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dispvatio VII. De causis habituum supernaturalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

DISPUTATIO VII.

De causis habituum supernaturalium.



VM disputatione precedente disputatum sit, qualis sit natura habituum supernaturalium, ac eorum inter se connexio, & qua ratione actus supernaturales ab ijs producantur: hac disputatione explicandum est, qua ratione ipsi producantur ab actibus supernaturalibus, an physicè, an verò solum meritoriè. Vt autem quæ hac de re dicenda sunt, fiant clariora, prius breuiter explicandum est, qua ratione habitus naturales à nostris actibus producantur.

DVBIUM I.

Virum habitus acquisiti producantur ab actibus tamquam à suis causis efficientibus?

Durand.

Durandus in 3. d. 33. qu. 3. lit. I. docet, habitus acquisitos immediatè effectiue produci ipsa potentia; actus verò solum disponere potentiam, vt possit habitum in se producere; sicut mollicies disponit ceram, vt in ea possit imprimi sigillum.

Mart. de Magistris.
Buridanus.

Eandem sententiam ex parte tenent Martinus de Magistris, & quidam commentator Aristotelis, quos citat & sequitur Buridanus in 2. Ethic. c. 3. q. 1. disp. 2. Qui dicunt potentiam propriè producere ipsum habitum, & actiones esse solum viam ad producendum habitum. Probat Durandus suam sententiam: quia causa æquiuoca alicuius rei non potest vicissim à re eiusdem speciei produci, quia ipsa debet esse perfectior re quam producit: sed habitus est causa æquiuoca ipsius actus: ergo nequit ab actibus eiusdem speciei produci.

2

Ad hoc argumentum quidam respondent, habitum acquisitum non producere efficienter ipsam substantiam actus, sed solum quemdam modum facilitatis. idque probant, quia cum potentia sit sufficiens principium sui actus, quoad substantiam frustra daretur aliud principium eiusdem productum; frustra enim sit per plura quod fieri potest per pauciora. Sed rã hæc responsio quàm eius probatio mihi semper sunt visa difficilia. Primò, quia non videtur posse concipi aut explicari, quid sit ille modus in ipso actu, qui à particulari causa debet produci. Item nequit sufficiens reddi ratio, cur cum potentia possit producere ipsum actum, non possit tamen producere hunc modum.

Facilitas operationis non est modus ab ea distinctus.

Secundò, quia quod aliquid facilitè aut difficultè ab aliquo producat, sæpè nō tam prouenit ex variatione ipsius effectus, quàm ex variatione causæ. Nam quando aliquis habens præcisè vires vt sex, eleuat pondus vt sex, id toto conatu & difficultè facit; si eius vires crescant vt 12.

& leuet illud pondus eadem planè celeritate, id faciliter facit, non propter vllam varietatem effectus, sed præcisè propter variationem virtutis efficientis. similiter si habenti præcisè vires vt sex, accedat alius habens vires vt sex, simulque leuent hoc pondus eadem omnino celeritate, secundus faciliterabit prioris actionem, non producendo in ipso effectū aliquem nouum modum, sed concurrente ad substantiam ipsius actus. quia nulla est ratio cur ille modus producat potius ab vno quàm ab alio.

Tertiò, quia sicut duæ candelæ in eadem distantia producunt lumen perfectius siue intensius, quàm vna potest producere, ita potentia cum habitu eodem conatu ac ceteris paribus producit in se actum perfectiorem: atqui hæc perfectio non est modus aliquis, sed pertinet ad substantiam ipsius actus (non quidem ita vt qualitas dum intenditur fiat substantialiter omnino alia, sed quod substantia, siue secundum aliquid ad suam integram substantiam pertinens varietur, sicut quando homo crescit.) nam sicut in lumine, ita etiam in actu, qui intenditur, tertius & quartus gradus non minùs pertinent ad substantiam rei quæ intenditur, quàm primus aut secundus: ergo habitus non concurrat solum ad modum aliquem actionis, sed ad ipsius substantiam; præsertim cum non sit probabile, potentiam producere vnā partem illius actus, & habitum aliam; sed sicut illud lumen secundum omnes suas partes producit vt vtraque candela, ita actus secundum omnes suas partes producit simul à potentia & ab habitu.

Et hoc omnino videtur dicendum, nisi velimus negare communem sententiam, scilicet habitum acquisitum concurrere effectiue ad productionem actus; ac dicere ipsum solum esse dispositionem ex parte potentie requisitam vt hæc possit promptè ac facilitè agere, sicut approximatio obiecti est causa cur potentia facilitè & perfectius agat. quod, vt dixi, communi sententiæ repugnat, nec sufficienter probari potest.

Ad argumentum tamen Durandi facilitè aliter responderi potest, maiorem solum esse verã in causis totalibus, in quibus causa debet formaliter vel eminenter continere totam perfectionem effectus; secus verò esse in causis partialibus, in quibus singulæ non debent continere totam perfectionem effectus, sed sufficit quod simul iunctæ eam contineant. hinc duæ virtutes leuandi vt sex possunt leuare pondus vt 11. vel 12. Etsi autem habitus secundum se esset imperfectior ipso actu, simul tamen cum potentia constitueret aliquid perfectius ipso actu: non solum in entitate (quod hic non sufficit) sed etiam in ratione virtutis agendi.

Alia tamen ratione videtur supradicta sententia

Habitus concurrat ad substantiam actus producti.

Causa æquiuoca totalis nequit produci à causa eiusdem speciei cum suo effectū, secus est de partialibus.

tia posse probari. Quia si solus actus esset causa effectiua habitus, sequeretur Primò, ipsum producturum habitum, etsi potètia per ipsum verè non ageret, nec hic ab illa produceretur, sed solum modo mortuo eidem inhereret, vt contingeret si Deus solus eum in potentia produceret hac se solum passiue habente. Sequeretur Secundò, quoties actus in ratione entis æquè perfectus in potentia quacumque ratione poneretur, ipsum æquè perfectum producturum habitum, præsertim quoties non impediretur maiore aliqua contraria dispositione: atqui hæc sunt falsa: ergo etiam illud vnde sequuntur. Minor probatur Primò, quia habitus debent acquiri operando: in priorè autem illo casu potentia non operaretur. Secundò, experientia docet habitum non tam augeri perfectione ipsius actus secundum suam entitatem, quam magnitudine conatus ipsius potentie: quo enim quisque plus conatur vt aliquem actum perfectè faciat, eo ceteris paribus maiorem in eo postea producendo facilitatem acquirit. Docet autem hoc experientia Primò, iuni qui discunt scribere; ponamus enim magistrum habere duos discipulos naturaliter æquè aptos ad scribendi artem, & vnus apprehensa manu simul cum eo formare perfectos characteres, discipulo languidè in id conante; contrà verò alterum per se magno conatu formare characteres ad exemplar præceptoris sibi propositum longè imperfectiores illis aliis. Item ponamus vtrumque æqualiter applicare intellectum vt videat quomodo characteres sint formandi: prior sine dubio formabit characteres meliores; atque ita manus ipsius motio erit perfectior in ordine ad eos formandos, & tamen secundus longè plus proficiet. Inò si prior numquam aliter disceret scribere, numquam acquireret habitum bene scribendi. Nec refert quòd ars scribendi non sit fortè verus habitus: quia est saltem aliquid simile, & ferè eodem modo acquiritur atque veri habitus.

Secundò, si duo æqualiter natura sua ad aliquam virtutem moralem propensi, eiusdem quisque duos vel tres actus elicerent; ita tamen vt vnus propter graues aliquas difficultates quas ob tentationes dæmonis, aut ob similem aliquam causam ab extrinseco prouenientem experiretur, magno conatu actus remissos eliceret; alter autem, quia tunc fortè ratione circumstantiarum nullam in operando sentiret difficultatem, exiguo conatu actus secundum entitatem paulò perfectiores eliceret: prior sine dubio maiorem habitum ac facilitatem eliciendi eiusmodi actus acquireret quam secundus, & cessante postea ea difficultate multò facilius eodem conatu perfectiores actus eliceret.

Tertiò, videmus sæpè aliquos initio sue cōuersionis aut ingressionis in Religionē, dum Deus eos multis gratiis præuenit, & ad opera pietatis excitat, magna facilitate & exiguo labore quædam opera excellenti facere, & quandoque feruentes virtutum affectus elicere; & nihilo minus longè minùs in virtute proficere alijs, qui magnam vim naturæ suæ inferendo toto nisu ad virtutem contendunt, & tamen quia ca-

rent tam abundantibus gratiis, aut quia alias ob causas magnam in exercitio virtutum, ac earum affectibus in se excitandis difficultatem sentiunt; magno conatu & labore eiusmodi affectus minùs intensos eliciunt, ac opera secundum entitatem minùs perfectà faciunt. Quòd si tamen postea vtrique in iisdem circumstantiis constituantur, hi longè perfectiùs & faciliùs circa eiusmodi obiecta operantur, quam illi, qui deserti postea ab illa copiosa gratia, valdè languidè ac remissè operantur, & occurrentes difficultates difficillimè superant, & sapiùs ab ijs vincuntur. Vnde clarè patet, secundos, ob maiorem conatum actibus physicè siue in entitate sua imperfectioribus, longè maiorem habitum sibi comparasse. Quòd videtur fore falsum, si habitus produceretur immediatè à solis actibus; quia quo hi in entitate sua essent perfectiores, eo perfectiùs operarentur, & consequenter perfectiorem habitum producerent.

Hæ similesque rationes videntur illam sententiam reddere vtrumque probabilem: vt tamen defendi possit, alia ratione explicanda est; ita vt actio non censetur esse dispositio ad habitus receptionem, sicut mollities in cera hanc disponit ad receptionem sigilli: sed potius vt sit quædam conditio requisita ex parte agentis, siue potentie habitum in se producentis, sicut in brachio proicientis lapidem necessariò requiritur motio, vt possit lapidem proicere. videtur enim operatio potentie prærequisita ad productionem habitus, eodem modo se habere sicut se habet motio brachij ad proiectionem lapidis. nam sicut proiciens lapidem nequit in hoc producere impetum, nisi priùs moueat brachium; ita potentia nequit in se producere habitum, nisi in se producat actum, quo in illius obiectum tendat.

Dices, Hinc sequetur, productionem habitus esse actum vitalem. Respondeo Primò, si quis totum concedat, non faciliè posse probari hoc esse absurdum, nisi à communi sensu eorum qui negant habitum produci immediatè à potentia, qui non conuincit illud esse absurdum. Respondeo Secundò, nego hoc sequi: nam vt aliqua actio sit vitalis, non sufficit quòd quacumque ratione à viuente procedat, sed debet ab eo procedere per se & directè qua viuens est. productio autem habitus eo casu non procederet à viuente directè, & per se; nam potentia directè & per se producit solum actum, & in eo casu solum consecutiue, & quasi præter intentionem habitum produceret: sicut qui ob alium finem se celeriter mouet, producit in se calorem. Si quis autem velit contendere, vt actio sit vitalis, sufficere quòd immediatè procedat à potentia viuente; erit quæstio de nomine: & tunc consequenter poterit productio habitus dici actio vitalis, sicut nutritio, & similia. Atque hac ratione explicata dicta sententia posset faciliè defendi. Quia tamen sententia ferè communis docet, habitum immediatè produci per actum, non puto faciliè ab ea recedendum, cum benè explicata etiam possit faciliè defendi. vt ex dicendis patebit.

Nota igitur Primò, actum vitalem duplici-

Aut productio habitus sit actio vitalis.

Magnitudo conatus plus iunat ad acquirendum habitum, quam perfectio actus.

Potentia ne-
quit velle
aut intelli-
gere per a-
ctum a se nō
productum.

ter posse considerari: Primò, præcisè quatenus est quædam qualitas potentia inhaerens: quæ ratione possit à solo Deo in ea produci, ita ut ipsa huc nullo modo perciperet, sicut habitus infusus in ea producantur. Secundò, quatenus ipsa potentiam sensibiliter afficit, ipsaque per eum vitaliter tendit in obiectum: ad quod requiritur ut actus ab ea effectivè procedat. nam si solus Deus in voluntate produceret amorem alicuius rei, voluntas per eum nullo modo amaret, nec in illud obiectum tenderet. Aliàs enim sequeretur, eo casu voluntatem verè aliquid velle per actionem sibi nullo modo vitalem aut voluntariam; nam actio nequit voluntati esse voluntaria aut vitalis, nisi ab ea procedat: illa autem sunt aperte absurda.

Quidam tenentes contrarium, scilicet ut per eiusmodi actum aliquid velimus sufficere quòd ipse voluntati nostræ inhaereat, respondent implicare Deum se solo producere amorem in voluntate: id quæ probant argumentis iam allatis. Sed illud non potest probabiliter dici. nam nulla vel probabilis ratio adferri potest, cur Deus aut nequeat solus eiusmodi qualitatem producere tam bene quam aliam quamvis creaturam: aut cur nequeat eam producere in voluntate, cum naturaliter postulet huic inhaerere. Nec illud ex dictis argumentis villo modo sequitur, sed solum id quod suprà ex iis intulimus; scilicet quòd voluntas per eiusmodi actum nullo modo vellet.

9
Habitum est
vestigium
actus, & ha-
bitus incli-
natio.

Nota Secundò, habitum esse quoddam vestigium ipsius actus ab hoc in potentia relictum, ac impressum, eamque inclinans in obiectum ipsius actus, ut similes actus eliciat. Sicut enim actus actualiter & transeunter formaliter inclinat ac movet potentiam in suum obiectum; ita habitus est quædam habitualis inclinatio, potentiam quantum est ex parte sua continuò movens in idem obiectum, præsertim quando hoc ei obicitur. Nam experimur quando frequenter aliquos actus circa aliquod obiectum eliciamus, nos paulatim magis & magis ad similes actus exercendos inclinari; & præsertim obiecto, quodammodo violenter in id rapi, ita ut debeamus sæpè nobis vim inferre, ut ab eiusmodi actibus abstinamus; ad quos tamen sæpè ante eiusmodi contractum habitum nullam sentiebamus inclinationem. Habet igitur habitus in potentia, quodammodo sicut plica in charta, quæ est vestigium actualis plicationis: hæc enim in charta sibi antè resistente relinquit quoddam sui vestigium & permanentem inclinationem ad similes plicationes: ita ut charta postea valde faciliè eo modo plicetur; atque adeò sæpè sponte sua nisi cohibeatur.

10
Qua ratione
actus produ-
cat habitum.

Dicendum igitur, actum producere immediatè habitum in ipsa potentia, non quatenus consideratur præcisè ut qualitas ei inhaerens; sed quatenus vitaliter ab ea procedit, eamque sensibiliter afficit. hinc quo potentiam magis sensibiliter afficit, eamque maiore impetu ac conatu facit tendere in obiectum, eo maiorem in ea habitum producit. Et hoc solum probant argumenta allata num. 5. & 6. & exemplum n. 7. allatum de sigillo. videtur enim potentia suo a-

ctu ut sigillo, ut sibi eius vestigium imprimat, ideoque sicut sigillo debet prius imprimi vis ut cera suum vestigium imprimat; sic potentia ut in se habitum exprimat, debet prius suo actui quasi vim imprimere; quod facit dum magno conatu eum elicit. Sicut autem ut actus sit vitalis, aut sensibiliter potentiam afficiat, debet ab ea procedere; ita quo potentia conatu ex parte sua maiore eum actum elicit, sicut reddit eum aliquo modo magis sensibilem, ita maiorem ei vim addit ad imprimendum sui vestigium.

Nota Tertio, hæc aliquam distinctionem esse ponendam inter actus aut habitus potentia intellectus vel apprehensivæ, & inter actus voluntatis seu potentia appetitivæ: nam, ut iam ostendi, in his præcipuè gignitur aut augetur habitus per vehementem earum conatum in obiectum; contra verò in prioribus potentijs per claritatem ac expressam rei apprehensionem, quæ clarè ac vivaciter sibi eam proponunt: quia hac ratione rem apprehensam sive eius apprehensionem maximè sibi imprimunt. Cuius ulterior ratio est, quia tota difficultas quam intellectus patitur in re aliqua intelligenda, quæque per habitum potest tolli, provenit ex eo quòd non possit eam sibi clarè proponere. hinc quæcumque ei clarè & appositè ad ipsius captum proponuntur, faciliè intelligit; eaque communiter fortiter sibi imprimi, si non negligenter & pertransitum, sed attentè & aliquanto tempore ea consideret. Secus est in potentijs appetitivis, in quibus omnis difficultas exercendi aliquem actum ferè nascitur ex earum inclinatione in contrarium; quæ vehementi contraria inclinatione superari debet, sicut baculus curvus vehementi inclinatione in contrarium suam curvitatē debet amittere, aut contrariam figuram accipere.

II
Diversitas in
productione
habituum vo-
luntatis &
intellectus.

Aliunde in-
tellectus, &
aliunde vo-
luntas in suis
actibus diffi-
cultatem
patiuntur.

D V B I V M II.

Virum actus in substantia supernaturales effectivè concurrant ad productionem vel augmentum habituum supernaturalium?

Nota, inter Doctores satis constare eiusmodi actus effectivè nec producere nec augere habitus in substantia supernaturales; & de fide, spe & caritate, Concilia præsertim Tridentinum satis aperte hoc innuunt, dum docent hæc nobis à Deo infundi, nosque ea nobis à Deo infusa accipere, & ad eorum receptionem per nostros actus nos disponere: ut ostendi suprà disp. 6. dub. 1. Quibus verbis satis aperte insinuat, nos ad eorum productionem non concurrere effectivè; sed per nostros actus nos solum disponere. Et aliàs sequeretur, nos nostros effectivè iustificare: nam mediantibus nostris actibus produceremus in nobis formam iustificantem, scilicet habitum caritatis. quod repugnat aperte Trident. sess. 6. c. 7. Vbi aperte insinuat, solum Deum esse causam efficientem nostræ iustificationis. Et inde inferri infert,

12
Habitum in-
fusi non pro-
ducuntur ab
actibus.
Trident.

nos

Turrian.

nos in iustificatione fidei, spem & caritatem nobis à Deo infusa accipere; aperte ostendens nos per hæc iustificari: & solum Deum ea in nobis efficere. vide plura hæc de re dicta disp. 6. dub. 1. ubi ostendi, videri esse de fide quod Deus nobis eos habitus infundat. Quare communiter ferè Doctores in hoc conveniunt. Turrianus tamè 2. 2. disp. 4. 6. du. 7. tacito nomine citat quosdam docentes esse dubium an solus Deus in nobis hos habitus producat, & docentes, contrarium esse probabile. Item alios docetes, habitus quidem theologicos nobis à solo Deo infundi; habitus verò supernaturales virtutum moralium nostris actibus produci. Sed priores, ut supra ostendi, satis aperte repugnant Tridentino: alij verò sine vilo fundamento id asserunt: nec enim est vlla ratio cur posteriores habitus (posito quod hi sint supernaturales, prout esse ostendi disp. 6. dub. 2.) possint potius produci per nostros actus, quàm priores. Adde, ut rofque, ut infra ostendam, etiam cum ipsa ratione pugnare.

13 Supposito igitur, dictos habitus non posse produci per nostros actus, tota difficultas est, quare id fieri nequeat: cum enim videatur eadem proportio inter actus supernaturales & habitus supernaturales, quæ est inter actus naturales & habitus naturales, videntur illi eodem modo posse produci à suis actibus, sicut hi à suis actibus producuntur. nam sicut illi habitus sunt superioris cuiusdam ac divini ordinis, ita etiam eorum actus: quare illo non obstante videtur sufficiens inter eos esse proportio, ut hi habitus possint à suis actibus produci. Quæ de re, ut patet apud Turrian. sup. & Vasqu. 1. 2. disp. 79. c. 10. & Valentiam ibid. disp. 4. q. 3. puncto 4. variæ sunt sententiæ: hic solum vnam atque alteram adferam quæ videtur habere plus probabilitatis.

Turrian.
Vasqu.
Valentia.

14 Primò igitur quidam docent, huius rei causam esse, quia cum hi habitus sint quædam formæ supernaturales, non continentur in potetia materiæ naturali; sed debent educi è potetia materiæ siue subiecti obedientiali. quod à solo Deo fieri potest.

Actus super-
naturalis im-
mediatè in-
hæret poten-
tiæ.

Sed contra Primò, hinc sequeretur, habitum supernaturalem simul cum potetia non posse producere actum supernaturalem, quia cum hic sit forma in substantia supernaturalis, secundum illam sententiam debet educi è potetia subiecti obedientiali, quod à solo Deo (ut aiunt) fieri potest. Respondent aliqui, actum supernaturalem immediatè inhærere ipsi habitui, atque ex eius potetia, cui naturalis est, educi. Sed hæc responsio supponit tria falsa. Primò, actum supernaturalem immediatè produci à solo habitu; quod clarè refutavi disp. 5. dub. 5. Secundò, contritionem qua peccator se ad gratiam disponit, elici ab habitu caritatis, & hunc ante illam potetiam infundi; quod sufficienter refutavi disp. 6. dub. 7. Tertiò, supponit actum immediatè non inhærere potetiae, sed soli habitui: quod & sine fundamento dicitur; & ex eo, ac præcedente suppositione sequeretur, habitum caritatis recipi in ipsa potetia prius, quàm ipsa contritio in ea recipiatur: & conse-

Coninck de act. supernat.

quenter prius quàm hæc potentiam ad habitus receptionem disponat. nam antequam disponat potentiam, debet in ea recipi. si autem non inhæreat potetiae nisi mediante habitu cui immediatè inhæret, hic necessariò debet prius recipi in potetia, quàm actus eo mediante in ea possit recipi: dispositionem autem recipi in aliquo subiecto posteriùs natura, quàm in eo recipiatur ipsa forma, ad quam disponit, apertissimè implicat. Ex iisdem alia etiam absurda sequerentur, quæ brevitatis causa hic non refeto, quia iam dicta ad illius responsionis refutationem sufficiunt.

15 Secundò, contra illam sententiã facit, quòd, ut ostendi supra disp. 4. n. 17. & 18. eiusmodi habitus ideo præcisè sunt potetiae supernaturales; quia ipsa nec eos ad suam conservationem aut naturalem modum agendi necessariò requirit, nec potest eos acquirere per agēs aliquod merè naturale. atque adeo posito agente sufficienter potente eos producere, eam esse naturaliter potentem eos recipere, ut aperte etiam docet D. August. l. de Prædestin. c. 1. ubi ait: *Proinde posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, nature est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratia est fidelium.* Vbi, ut ostendi locis mox citatis, clarè docet potentiam naturaliter in se eos habitus siue actus supernaturales suscipere, posito quòd sit aliqua causa sufficiens eos producere.

Potentia naturaliter est apta in se recipere habitus supernaturales posito agente eos producente. August.

16 Secunda sententia huic affinis docet, ideo actum supernaturalem non posse producere habitum supernaturalem, quia potetia debet prius supernaturaliter elevari sine disponi, quàm possit in se recipere formam supernaturalem: ad habitum autem recipiendum nequit sufficienter disponi per actum: quia cum hic sit diuersa qualitas, non disponit physicè ad ipsum habitum recipiendum. nec etiam potetia per priorem gradum habitus disponitur ad recipiendum. Secundò, quia habitus solum disponit potentiam in ordine ad actum, non autem ad suum incrementum, siue ad gradum ulteriorem recipiendum.

17 Sed hæc etiam sententia satis refutatur ex dictis contra primam sententiam. Deinde contra eam facit Primò, quòd ex ea sequeretur, quòd potetia carens habitu infuso excitata sola gratia præuenienti secundum modum supernaturali, cum singulari Dei concursu supplente defectum habitus, non posset elicere actum supernaturalem, quia non esset eleuata forma supernaturali ad eum suscipiendum; illud autem videtur improbabile: quia clarum est, quòd tunc aliquem actum posset elicere (nulla enim est ratio id negandi) & tamen hic non esset naturalis, quia procederet à virtute actiua supernaturali, scilicet à potetia adiutali concursu, quæ sine dubio constitueret virtutem agendi perfectiorem quàm sit potetia naturalis, & consequenter perfectiorem actum eliceret, quàm hæc per se posset elicere, & consequenter supernaturalem. Quòd si concedamus potentiam sine vlla dispositione supernaturali posse in se aliquam formam supernaturalem recipere, nihil est cur negemus eam ita posse recipere habitum

L

habit

habitu supernaturalem. Sequeretur Secundo, habitum non posse disponere voluntatem ad recipiendum in se actum supernaturalem: quia si actus ideo nequit eam disponere ut suscipiat habitum, quia est diuersa qualitas; nec habitus eam poterit disponere ad actum, quia etiam est diuersa qualitas. Adde, communiter omnem dispositionem ad aliquam formam esse diuersæ speciei à forma ad quam disponit: quare ex eo, quod actus sit diuersæ speciei ab habitu, malè probatur, illum non posse potentiam disponere ad hunc recipiendum.

18

Secundo, contra eam facit, quod, etsi potentia indigeret dispositione supernaturali ad recipiendam in se formam supernaturalem; tamen cum actus & habitus sint eiusdem ordinis quoad supernaturalitatem, & cum sit mutua inter ea sympathia & aliqua connexio, dispositio prærequisita ad actum videtur omnino sufficere etiam ad habitum recipiendum. Item dispositio requisita ad primum gradum omnino sufficiens erit ad receptionem secundi, nec vlla potest adferri probabilis ratio cur id negetur, præsertim quando in potentia nulla est qualitas vltiori gradui repugnans, ut in præsentis casu accidit. Imò primus gradus subiectum disponit ad recipiendum secundum, & hic ad tertium, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 24. a. 4. in corpore: ubi ait, crescente caritate hoc ipso crescere subiecti habilitatem ad vltius incrementum.

D. Thom.

19

Tertia sententia docet, ideo habitus supernaturales non posse effectiue produci aut augeri per suos actus, quia sunt perfectiores suis actibus: nullum autem imperfectius potest producere aut effectiue perficere aliquid se perfectius. Quod autem tales habitus sint perfectiores suis actibus probant, quia eos effectiue producant; quod fieri non posset nisi ijs essent perfectiores. Et hanc sententiam tenent omnes qui docent, habitus acquisitos non posse effectiue producere suos actus secundum substantiam; quia res diuersæ speciei siue causæ æquiuocæ nequeunt se vicissim effectiue producere etiam secundum diuersa individua. Quam sententiam eiusque rationem refutauimus supra n. 4. ubi ostendi dicta solum esse vera in causis totalibus, non autem in partialibus. & n. 2. ubi ostendi habitus acquisitos effectiue concurrere ad substantiam sui actus producendam.

20

Deinde contra hanc sententiam facit, quod, etsi concederemus ob dictam rationem actus supernaturales non posse producere aut augere habitus, à quibus secundum substantiam producuntur; tamen non posset vlla probabilis reddi ratio, cur non producerent alios habitus dictis quidem imperfectiores; perfectiores tamen ijs quos producunt actus naturales, atque ita etiam in substantia supernaturales: hoc enim videtur necessarium dicendum, posito quod actus possint esse immediatum principium suorum habituum. Quia perfectius principium producit perfectiorem effectum: atque actus supernaturales sunt principium substantialiter perfectius, quam sint naturales: ergo producant effectus siue habitus substantialiter perfectiores.

Dices Primò, Inauditum est dari aliquos habitus medios inter infusos & acquisitos: ergo non sunt tales admittendi. Respondeo, nos hic non querere, an dentur tales habitus, sed inuestigare rationem cur actus supernaturales tales non producant, quam illa sententia non reddit.

Dices Secundò, actus non producere habitus nisi similes ijs, à quibus producuntur: dicti autem actus non possent ab eiusmodi habitibus produci. Sed contrà, vel hoc ita intelligendum est, quod actus nequeat producere habitum, nisi qui possit producere similes actus concurrente effectiue ad eorum substantiam; & hoc dicta sententia non admittit: quia illius Auctores putant habitus acquisitos non concurrere effectiue ad productionem substantiæ suorum actuum, sed tantum ad quemdam in ijs modum producendum. vel intelligendum est, quod habitus ab actibus producti debeant posse concurrere ad similes actus producendos solum quoad modum quemdam facilitatis: & nulla potest vel probabilis adferri ratio, cur eiusmodi habitus medijs si darentur, non possent ita concurrere ad productionem actuum supernaturalium.

Vera igitur ratio cur actus supernaturales nequeant producere habitus supernaturales, petenda est ex ijs, quæ dixi dub. 1. ubi ostendi, actum non aliter habere vim producendi habitum, quam quatenus sensibiliter siue perceptibiliter afficit potentiam, & quatenus hæc perceptibiliter per eum tendit in obiectum. Quare cum potentia ex parte sua non aliter influat in actus supernaturales quam in naturales, nec illi eam sensibiliter aliter afficiant quam hi, ita ut nullo modo possimus percipere an producamus actum supernaturalem, an verò solum naturalem; sequitur, actus supernaturales non habere maiorem vim producendi habitus, quam habeant actus naturales: & consequenter illos non producere perfectiores habitus, quam hi possint producere qui sunt merè naturales. nam ut aliqua causa possit producere effectum perfectiorem quam alia, non sufficit quod illa sit perfectior in entitate, sed requiritur ut habeat perfectiorem vim agendi ut autem iam ostendi, vis agendi in vtrisque actibus est par. ex quo principio etiam infra probabo, tales actus producere habitus eiusdem rationis cum productis ab actibus naturalibus, & hos etiam pari modo intendere.

Ad rationes igitur contrarias propositas n. 13. & 20. Respondeo actus supernaturales in hac vita (de his enim solum hic agimus) nullam habere proportionem ad producendos habitus supernaturales; quia etsi sint principium supernaturale, & eiusdem ordinis cum ipsis habitibus infusis in ratione entitatis, non tamen in ratione principij siue virtutis agendi, in qua, ut iam ostendi, sunt omnino pares actibus naturalibus.

Ex dictis aperte sequitur Primò, actus supernaturales non disponere potentiam physicè ad recipiendos habitus supernaturales; rum quia non videtur posse dari eiusmodi dispositio-

21

22

Ratio cur actus supernaturales non producant habitus supernaturales.

23

Actus supernaturales in virtute producendi habitum sunt æquales naturalibus.

24

Actus non disponit potentiam physicè ad receptionem habitus supernaturales.

nam, ut ostendi num. 15. & sequentibus, potentia nulla physica dispositione indiget, ut eiusmodi habitus in se recipiat, cum natura sua ad hoc sit satis disposita, nec habeat in se quidquam ijs physice repugnans; atque ita non magis requirit ad eorum receptionem disponi, quam aëter ad receptionem luminis. Deinde, et si posset ad eiusmodi dispositionem physice disponi, hoc deberet fieri per aliquam sensibilem affectionem, ut patet ex dictis dub. 1. Cum igitur hi actus non aliter sensibilibus afficiantur potentiam quam naturales, non possunt eam aliter disponere, quam hi.

Sequitur Secundò, actus supernaturales solum moraliter concurrere ad infusionem habituum supernaturalem, scilicet aut per modum dispositionis moralis & meriti de congruo sine imperationis in peccatoribus, & tamquam meritum de condigno in iustis.

D V B I V M III.

Virum actus supernaturales producant habitus naturales similes ijs, qui per actus naturales circa idem obiectum gignuntur.

25 **Q**uidam id negant. Primò, quia sequeretur habitum productum per actus supernaturales remanere in homine deficiente ad hæresim. Secundò, quia actus non producant habitus nisi similes ijs, à quibus possunt produci aut facilitari: atqui actus supernaturales non possunt produci aut facilitari ab habitibus naturalibus: ergo illi nequeunt eiusmodi habitus producere. Tertiò, quia actus scientiæ non producit habitum opinionis, sed solum habitum scientiæ: ergo assensus fidei elicitus propter auctoritatem Dei, non gignit habitum credendi propter auctoritatem humanam.

26 **S**ed hæ rationes facile solvuntur. Ad primam, concedo totum: nullum enim in eo est absurdum. Ad secundam, nego minorem. nam et si habitus naturales per se non reddant potentiam idoneam ut sine auxilio supernaturali possint actus supernaturales elicere; efficiunt tamen ut adiuta eiusmodi auxilio actuali vel habituali, facilius eos eliciat, ut experientia docet: quod fieri poterit, et si ipsi ad productionem horum actuum effectivè physice & immediatè non concurrant. Quia ad illud sufficit quòd potentiam formaliter inclinent ad elicendum circa obiectum formale illorum actuum aliquem actum abstrahendo à naturali vel supernaturali: hoc ipso enim quo potentia ita inclinatur, facilius eiusmodi actum elicit, & quidem supernaturalem, si ad hoc habeat sufficientes vires ratione habitus supernaturalis sibi inherentes, aut singularis Dei concursus. Qua ratione Suarez l. 3. de Auxilijs cap. 4. num. 16. & multi alij docent, gratias prævenientes facilitare actum supernaturalem, & tamen non concurrere physice & effectivè ad eius productionem. An autem dicti habitus etiam effectivè immediatè concurrant cum voluntate ad productionem actuum supernaturalem, non ita patet. Sed quamvis

Coninck de act. supernat.

hoc ita fieri clare probari non possit, posito tamen quòd ita concurrant ad productionem actuum naturalium, nulla est ratio quæ satis prober eos simili modo non concurrere ad productionem actuum supernaturalem: nam cum potentia ex parte sua ad horum productionem eodem modo concurrat, atque ad actus naturales; non video cur illi habitus non possint simili ratione cum ea concurrere. Sed, ut iam ostendi, ad præsens dubium soluendum non est necessarium hoc asserere, quare ulterius id non discutio.

Ad tertiam, concedo totum; quia nihil facit ad rem: nam dicta obiectio supponit, actum naturalem & supernaturalem necessariò semper differre obiecto formali. quod disput. 5. dub. 3. ostendi non esse verum.

27 **C**ONCLVSIO. Actus supernaturales in hac vita generant in nobis habitus naturales similes ijs, quos per actus merè naturales circa idem obiectum formale elicitos acquirere mus. Ita Molina. l. 1. p. q. 1. art. 3. sub finem, & Bergomensis in Concordantijs locorū D. Thom. dub. 697. Probatur. Primò, quia, ut iam ostendi, nulla est ratio id negandi. Secundò, quia, ut ostendi dub. 1. actus producit habitum, quatenus potentia per eum sensibilibus movetur, siue fertur in obiectum: atqui, ut ostendi dub. 2. potentia eodem planè modo ex parte sua & quantum ad sensibilitatè attinet, fertur in obiectum per actum supernaturalem ac per naturalem: ergo uterque eodem modo in ea habitum gignit. Patet consequentia; quia ubi est eadem causa, sequitur idem effectus; ut autem patet ex dictis, uterque actus secundum eam rationem, qua actus causant habitum, habet se eodem modo: & consequenter est eiusdem virtutis quoad hanc causationem.

Tertiò, quia patet experientia, iustos, qui sæpius se exercent in aliquo actu virtutis supernaturalis, acquirere magnam in eius exercitio facilitatem. quod est apertum signum, eos acquirere habitum naturalem: ergo actus supernaturales huiusmodi habitum gignunt.

28 **A**d hoc argumentum respondent aliqui. Primò, habitum illum acquiri per actus naturales, quos habentes habitum supernaturalem sæpè circa eiusmodi obiecta eliciunt. Sed hoc dici non posse patet ex dictis disp. 6. dub. 5. concl. 2. n. 70. ubi ostendi, habentem habitum supernaturalem necessariò semper elicere actum supernaturalem, quoties circa obiectum illius habitus operatur. His adde, si habitus naturales possint facilitare actus supernaturales, nullam esse rationem cur negemus illos per hos produci, si versentur circa idem obiectum formale.

Alij respondent Secundò, eiusmodi habitus gigni per actus naturales habentes quidem idem obiectum materiale, non tamen formale. v. g. quando fidelis sæpè elicit actus fidei, non omnes elicit præcisè propter auctoritatem Dei, sed sæpè etiam ob motiva humana, qui actus gignunt habitum elicendi alios similes. Ilque habitus deinde iquat ad elicendos actus fidei diuine, siue propter auctoritatem Dei: non quidem directè, sed remouendo prohibens, aut

L 2 effi-

efficiendo ut res credenda apprehendatur ut vera.

29

Sed contra Primò, etsi huiusmodi habitus ea ratione posset aliquo modo actus fidei diuinæ reddere minus difficiles, nullo modo tamen posset in eos directè inclinare. Experimur autem elicientem sapè actus fidei diuinæ, sentire quamdam inclinationem ut eosdem data occasione propter diuinam auctoritatem eliciat, siue ut huic statim toto conatu adhareat: quod fieri non potest nisi per habitum genitum ex actibus elicitis propter diuinam auctoritatem.

Secundò, ea responsio gratis omnino sumit, homines, præsertim pios & doctos, eiusmodi actus sapè elicere ob rationes merè humanas: cum tamen communiter explicite intendant eos elicere ob auctoritatem Dei. Item supponit, cum qui sapè eliceret eiusmodi actus præcisè ob auctoritatem Dei, & numquam ob rationes humanas, nullam acquisitionum facilitatem eiusmodi actus eliciendi: cum tamen contra videatur longè probabilius talem maiorem acquisitionum facilitatem & inclinationem ad eiusmodi actus, quam si sæpius assentiretur iisdem mysteriis propter rationes humanas. Et aliàs ad acquirendam promptitudinem in eliciendis actibus fidei, aliarumq; virtutum theologiarum, præstaret potius circa earum obiecta materialia elicere actus ob diuersa obiecta formalia, quam propterea eorum obiectum formale proprium: quod apparet planè paradoxum, nec vilo modo suadendum in praxi.

30

Tertiò, quia etsi dicta responsio posset habere aliquam probabilitatem in assensu fidei, non tamen in actu caritatis: nam, ut ostendi disp. 5. dub. 3. non potest dari ratio secundum quam Deus possit amari amore amicitie naturali, ob quam non possit etiam amari amore supernaturali. Idemque planè videtur dicendum de actu spei; nam seculi ignorantia, ob quodcumque obiectum formale possum honestè sperare beatitudinem actu naturali, ob eandem rationem possum eà sperare spe supernaturali, si habitum spei habeam. ut suo loco infra magis patebit.

Alij respondent Tertiò, hoc fieri ratione habitus supernaturalis, qui per eiusmodi actus meritorie augetur. Sed & hoc refutatum est disp. 6. dub. 6. ubi ostendi, habitum supernaturalem non conferre subiecto facilitatem in operando, sed solum potestatem operandi super-

naturaliter. His adde, eiusmodi facilitatem manere postea in eo, qui per peccatum mortale aut etià per hæresim amisit habitus supernaturales.

Nota hic tandem; nos propter connexionem partis superioris cum inferiori, quæcumque hic intelligimus, quantumvis spiritalia sint, eaque sub ratione spiritali intelligamus, tamen simul ea modo quodam corporali per phantasiam apprehendere. unde etiam sicut voluntas in ea fertur sub ea ratione, quæ per intellectum ei proponuntur; ita pars inferior appetitiva in ea fertur sub ea ratione, quæ per apprehensionem siue imaginariam ei proponuntur. unde etiam accedit ut quando magno pietatis sensu voluntas fertur in Deum, sentiamus etiam in parte inferiori magnam quandam delectationem: iuxta illud psalmi 83: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum vivum.* Hinc etiam in eadem parte contrahitur quædam inclinatio ad similes apprehensiones & affectus inde sequentes, quibus etiam multum iuuatur & facilitatur voluntas in suis actibus etiam supernaturalibus eliciendis: tum quia hac ratione auferitur omne impedimentum quod ei ex parte inferiori in suis actibus eliciendis solet obuenire: tum etiam quia intellectus hac ratione excitatur & iuuatur ut voluntati suum obiectum perfectius & fortius proponat: quod ideo etiam voluntati tunc apparet magis appetendum ob inclinationem affectus sensitivi in obiectum aliquo modo simile corporali modo apprehensum.

Et possent quidem aduersarij ad tertiam nostram rationem supra allatam respondere, omnem dictam facilitatem ortam ex frequentatione actuum supernaturalium oriri ex hac causa. Sed similiratione deberemus etiam tollere omnes habitus acquisitos in voluntate; & dicere nostris actibus nihil aliud gigni, quam eiusmodi inclinationem in parte inferiori. Quare si cum communi sententia velimus defendere dari in voluntate habitus acquisitos, debemus etiam concedere eos gigni per actus supernaturales, ut rationes allatæ probant: omnes enim rationes, quæ probant per actus naturales gigni aliquos habitus inclinantes ad eiusmodi actuum productionem, idem probant de actibus supernaturalibus; nam omnes ex rationes maxime nituntur experientia, quæ in vtriusque est omnino eadem.

31

In omnia, quæ intelligimus aut volumus, imaginatio sub modo corpore feruntur.

Exactibus partis superioris consecutus generatur quædam inclinatio in parte inferiore, ipsam voluntatem facili-
tantes.

Idem est obiectum caritatis & spei naturalis, & supernaturalis.